



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. VI. De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

ut explicat Suar. disp. 7. sect. 7. : Ubi adverte, quod solum habens potestatem ordinariam possit valide absolvere invitum, non vero habens potestatem delegatam, in foro conscientia; nam respectu hujus requiritur consensus personae absolvendae, quae voluntarie se subiciat in tali foro; aliter non est subditus, ut requiritur ad validitatem absolutionis.

Demum requiritur praesentia personae absolvendae, si fieri potest sine gravi incommodo, ut convenienter detur absolutio; aliter mittenda facultas alicui, ut illum praesentem absolvat, vel si ibi nemo adsit idoneus, absolvendus mittendus est ad aliquem loci vicinioris, a quo absolvatur: Quod si neque hoc fieri possit, poterit tunc absolvi absens; nam sicut absens censurari potest, ita & absolvi: Tunc autem intelligeretur regulariter absolutus, quando reciperet litteras continentes absolutionem, nisi aliter constaret de mente absolventis. Ubi advertit Bonac. punct. 4., quod Confessarius, qui aliquem absolvit ab excommunicatione reservata, a qua non poterat absolvere, possit deinde, obtenta facultate, absolvere ab illa absentem; non enim est necesse, ut absolutionem acceptet, cum haec pendeat tantum ex intentione absolventis, statimque effectum suum pariat juxta mentem illius.

## ARTICULUS VI.

De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.

- I. *Ad ferendam absolutionem a censura non requiruntur verba determinata; conferri tamen ea debet vel verbis, vel scriptura, non tamen nutibus.*
- II. *Num possit his verbis, Absolvo te, conferri absolutio a censuris simul, & a peccatis?*

III. *Aliquando exprimenda est causa censura ab Absolvente.*

IV. *Plura spectant ad ritum accidentalem in judiciali absolutione a censuris.*

V. *Quid servandum in foro Sacramentali?*

I. **Q**uæritur primo; Utrum ad formam substantialem absolutionis requirantur verba determinata?

Respondeo, ad absolutionem conferendam non requiri certam formam verborum, sed sufficere quaecumque verba seu ore prolata, seu scripta, quae significant absolutionem. Ita Suar, & communiter omnes Doctores. Ratio est, quia nullo jure probatur, quod requiratur certa forma; Ex altera parte cum absolutio detur inter homines, debet dari humano, & sensibili modo, atque adeo per verba, vel scripturam, non tamen per nutus, aut per alia hujusmodi signa; quia hoc esset contra formam juris communis, ex *Clement. ultim., de Sententia excommunicationis*. Et ratio est, quia hujusmodi signa sunt valde incerta. Solus Pontifex posset per nutus, aut alia signa absolvere; quia supremam habet potestatem, & facultatem absolvendi, non servata forma juris communis. Ita Bonac. punct. 5., Sanch, Suar., alique contra Salas; qui probabiliter putat, validam esse, licet illicitam, absolutionem a censura datam per nutus, etiam si a Praelato inferiori Pontifice conferatur.

II. Hinc sequitur, ad formam substantialem absolutionis a censura pertinere verba, vel scripturam, quae absolutionem significant: Haec autem verba possunt satis esse, Absolvo te, vel Reconcilio te Ecclesiae, vel Restituo te Sacramentis, aut quid simile. Adde, illa verba, Absolvo te, satis etiam esse ad absolutionem a censuris, & peccatis simul, si proferantur ea

in-



intentione, ut utraque simul absolutio conferatur. In quo casu utraque absolutio esset in eodem instanti, sed absolutio a censuris esset prior natura absolute a peccatis. Consultius tamen est, ut Confessarius expresse unam absolutionem alteri præmittat, dicendo saltem, Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis.

III. Dubitatur; An in forma absolutionis exprimi debeat causa censuræ, dicendo, verbi gratia, Absolvo te ab hac censura, quam contraxisti ob tale delictum? Communiter cum Suar. sect. 9. negant id requiri, per se loquendo; cum nullo jure præscribatur: Aliquando tamen id expedit: Si enim reus sit irretitus pluribus censuris, & superior velit illum ab una tantum absolvere, debet exprimere causam illius, ut constet a quam absolvetur.

IV. Quæritur secundo; Quænam pertineant ad accidentalem solemnitatem, seu formam absolutionis?

Respondeo, ad ritum accidentalem in judiciali absolutione pertinere aliqua, quæ præcedant, alia, quæ comitentur, alia demum, quæ subsequantur.

Præcedere judicialem absolutionem debet primo petitio absolventis, ex cap. *Per tuas, de Sententia excommunicationis*; ubi dicitur: Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.

Secundo, satisfactio partis læsæ; si tamen non possit ea poni, præcedere saltem debet cautio pignoratitia, vel fidejussoria, vel juratoria, ut supra diximus.

Tertio, in excommunicatione contracta ob enorme delictum præcedere debet absolutionem juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, & quod simile delictum non amplius committetur. Quare hoc juramentum exigere tantum solet a percussore Clericorum,

ab incendiario, &c. non vero in aliis levioribus delictis; neque ab impuberibus, etiamsi graviter Clericum percusserint, ut docent Pal., Henr., lib. 13. cap. 29., & alii.

Comitantur absolutionem judicialem, quæ in jure statuta sunt pro singulis censuris; præsertim quæ præscribit Innoc. III. in cap. *A nobis 2., de sententia excommunicat.*, & habentur in Pontificali Romano; videlicet, quod qui ab excommunicatione absolvetur, super nudatos humeros (modo non sit fœmina) leviter cadatur virga, flagello, aut fune, dum recitatur Psalmus Miserere: Quod si mortuus excommunicatus sepultus sit in loco sacro, fatis est flagellare sepulchrum, quin exhumeretur cadaver. Ortum habuit hæc cæremonia, quia servi dum manumittebantur olim, flagellabantur virgis a Prætoribus; sic nunc servi Satanæ, dum a servitute liberantur per absolutionem, flagellantur ab absolvente; Omissio tamen talis ritus nec reddit invalidam absolutionem, nec graviter illicitam, ex Navar., Hurt., Pal.; nisi in aliquo casu ad specialem Ecclesiæ satisfactionem ea requirantur.

Subsequitur demum a publica, & denunciata censura absolutionem ejus publicatio, ut respectu aliorum finis absolutionis obtineatur; sicut enim nisi censura publicetur, alii non obligantur ad non communicandum cum excommunicato; ita nisi publicetur absolutio, alii non eximuntur ab ea obligatione.

V. In foro autem sacramentali, quando quis a censuris absolvetur, non est opus servare hæc cæremonialia. Advertit tamen Avil. 2. part. cap. 7. dub. 3., quod si confessio fieret in loco secreto, & posset talis forma adhiberi, expediret ita fieri, ut excommunicatus concipiat timorem, & reverentiam erga censuras; Aliter satis est dicere,



cere, In primis absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi ob furtum, verbi gratia, mihi dictum; & deinde prosequatur, & ab omni alio vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

## ARTICULUS VII.

Expediuntur reliqua, quæ ad Absolutionem a Censuris spectant.

- I. Num remaneat a Censuris absolutus, qui reticet in Confessione Sacramentali peccatum, cui censura est annexa?
  - II. Si pramittenda erat satisfactio pariter, ea non pramissa, non est absolutus a censuris, quamvis ex oblivione peccatum illud omiserit.
  - III. Potest Episcopus pro foro conscientie absolvere a casibus Papalibus occultis. Num etiam ab occultis reservatis in Bulla Cœna? Num Episcopus, & Mendicantes Privilegiani absolvere possint a sex illis casibus Clem. VIII., si sint occulti?
  - IV. Quodnam delictum dicitur occultum; quodnam vero publicum? Quid si delictum in uno loco sit occultum, & in altero publicum?
  - V. Impeditus adire Pontificem pro absolutione a casu Papali absolvi potest ab Episcopo. An possit etiam a confessario absolvi, si sit impeditus etiam adire pro absolutione Episcopum? Certe non potest a simplici Sacerdote absolvi directe; si neque Papam, neque Episcopum, neque Confessarium adire potest.
  - VI. Solum de licentia sui Superioris potest ab Episcopo absolvi Religiosus impeditus adire Pontificem.
  - VII. Prælati regulares possunt suos subditos absolvere ab occultis Papalibus, prout possunt Episcopi. Et ab excommunicatione contracta ob percussione Clerici etiam enormem.
- Pars VIII.

VIII. Qui impedimento temporali laborans, ne possint Pontificem adire, ab Episcopo absolvi possunt, sed cum onere adeundi Papam cessante impedimento.

IX. Quinam dicantur habere perpetuum impedimentum adeundi Pontificem; quinam vero temporale? Quinam possit absolvi cum onere per hoc precise, quod aliter carere diu deberet gratia sacramentalis?

I. **Q**Uæritur primo; Utrum pœnitens remaneat absolutus a censuris, a quibus confessarius potest absolvere, quando voluntarie reticet in confessione peccatum, cui scit annexam esse censuram, & petit a confessario absolutionem ab omnibus censuris, si forte indigeat, & quam confessarius concedit?

Respondeo cum Suar. sect. 1., Filiuc. num. 291., Bonac. punct. 6. quod vel confessarius habet facultatem absolvendi ab illa censura tantum in ordine ad confessionem, ut accidit in jubilæis, vel extra Sacramentum; Si primum, invalida esset absolutio; quia in Sacramento Pœnitentiæ, per se loquendo, requiritur cognitio peccati, cui est annexa censura; ergo si voluntarie tale peccatum reticetur, absolutio tam a peccatis, quam a censura est nulla; Si secundum, valida esset absolutio, si Confessarius haberet intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest. Verum quia confessarius non præsumitur habere intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest, quando illas pœnitens sine justa causa reticet; quia præsumitur habere intentionem absolvendi, quantum licite potest, nec potest licite a tali censura non manifestata absolvere; ideo in tali casu pœnitens non remaneret absolutus ab illa censura; Sicut remaneret absolutus, si tantum ex oblivione